

05

A

2403



Q. D. B. V.

ABSOLU-
TIONEM
PRIVATAM
FORMULA CA-
TEGORICA

EXERCENDAM,

PRÆSIDE

Summe Reverendo atqve Magnifico

DOMINO

PHILIPPO LUDOVICO

HANNEKENIO,

Doctore & Professore Theologo ac Consist. Eccles.

Assessore gravissimo,

Publicæ eruditorum Censuræ tradit

AUTOR

M. SALOMON Gotthelf
LEHMANNVS,

Lastavia-Coldicensis Misn.

Anno clō lō cc. d. XXV. Maji.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI GERDESII.

Florentissimæ Lipsiensium Reipublicæ

DOMINIS
CONSULIBUS,
PRO-CONSULIBUS,
SYNDICO,
ÆDILIBUS,
PRÆTORIBUS,
Univerſoqve ORDINI SENATORIO

VIRIS

Magnifica Excellentia,
Nobilissima Profapia,
Dignitate Amplissima,
Prudentia Consultissima

Illustribus,

Mecenatibus, Patronis, Promotoribus &

Evergetis

Optimis Maximis.

Hoc studiorum suorum specimen

*In aternam Beneficiorum acceptorum memoriam, ob-
servantia tesseram & ulteriorem commendationem,
cum pio felicitatis perpetuæ voto, consecrare debuit*

M. Salomon Gotthelf Lehmannus.



05 A 2403



PROEMIUM.

§. I. *Occasio Thematicis.* §. II. *Tractandi modus.* §. III. *Votum.*

§. I.



Sunt, qui maximum ex abrogatione absolutionis privatae, in Ecclesia nostra haecenus usitatae, pietatis incrementum sibi promittunt. Sunt, qui per modum absolvendi praeposterum hypocrisin feliciter impediri posse putant. Hinc, cum sacra scriptura Virique de Ecclesia nostra meritissimi contrarium maxime svadeant, nos divino Spiritus Sancti ductu admoniti *Absolutionem privatam, formula categorica exercendam* publico examini sistere constituimus.

§. II. Primum caput ipsam essentiam, circumstantias & utilitatem absolutionis privatae

A 2

sistit.

stitit. Secundum formulam ipsius ministro Christi convenientissimam tradit. Tertium absolvendi methodum minus Evangelicam diluit. Et denique conclusio divinum absolutionis donum cuilibet sincere commendat.

§. III. Adsit nobis gratia sua divinum Numen, nostrumque laborem ad confirmandam fidei certitudinem atque ad trahendam fictæ sanctitati larvam cedere jubeat, per Dominum nostrum JESUM Christum, Amen.

DE

Absolutione privata.

C A P. I.

§. I. *Quid sit Absolutio privata?* §. II. *Sententia Pontificiorum & Calvinianorum.* §. III. *Est divinitus instituta.* §. IV. *Prior fuit quam publica.* §. V. *In Ecclesiis bene constitutis usitata.* §. VI. *Circumstantie ipsius sunt juris ecclesiastici.* §. VII. *LUTHERUS Abusus abrogavit, usum retinuit.* §. VIII. *Injusta sunt Fanaticorum in eam convitia.* §. IX. *Objectiones quorundam refutantur.* §. X. *Et utilitas ipsius ostenditur.*

§. I.

Est Absolutio privata clavis solventis effectus, per quem ministri ecclesiæ, jussu DEI, propter Christi

sti meritum, peccatorum remissionem gratuitam singulis efficaciter conferunt, qui pœnitentiæ indicia saltem confessione oris edunt. Privata & Singularis dicitur non tam a loco, nec a personis, nec ab aliis in usum receptis circumstantiis, sed maxime ex eo, quod pœnitenti peccata individualiter remittuntur.

§. II. Mediam hic viam, nobis divinitus inscripturis ostensam ingrediamur; ne, vel more Pontificiorum, *Dannhaw. Hodom. Pa-* potestatem solvendi judiciariam, absolutam & ad nutum Romani Pontificis accommodatam ministris eccle- *pei Spir. Ph. XI. Declar. Theol. Hass. contra libellum Wechzels Schriftent/ dictum, p. 1042. seqq. Matth. XVII. 17. 18.* siæ tribuamus; vel Calvinianorum errore decepti, nullam ipsis, nisi tantum significativam concedamus. Ministri sunt Oeconomi mysteriorum non cum imperio iudices animarum. Eorum absolutio non est mere declarativa sed operatrix & organica.

§. III. Quatenus in se consideratur, ipsa mandato divino & jure clavium ecclesiæ commissarum nititur, ut a ministris privatim & publice exercatur. In veteri Testamento DEUS Sacerdotibus expiationem peccantium singulorum præceperat. Mittitur Nathan ad Davidem, ut stimulatus conscientiae argumentis confessionem peccatorum ederet atque absolutionem obtineret. Eandem quoque potestatem Novi Testamenti tempore Salvator non tantum Petro & Apostolis commisit, sed & omnibus eorum successoribus ministerium reconciliationis dedit, ut, quemadmodum ipse Christus, a Patre Apostolus Confessionis nostræ missus, mulierem peccatricem, publicanum orantem, Zachæum pœnitentem, latronem in cruce confiten-

tem, aliosque seorsim suscepit, ita & illi gratiam divinam
singulis eam petentibus individualiter applicent; juxta
Joh. XX. sententiam ejus: *quemadmodum misit me pater, ita & ego*
21. 22. *vos mitto.*

§. IV. Neque hic observare non possumus, Abso-
lutionem privatam publica fuisse priorem.
Hoc exempla clavis solventis, quæ per testimonium
Scripturæ Sacræ & historiarum ad nos pervenerunt,
satis testantur. Post modum autem, ut & publice in
suggestu minister absolvat pœnitentes, ad solatia con-
scientiis sufficientia receptum fuit. Siquidem, teste B.
In Tract. D. HOPFNERO, generalis peccatorum confessio,
Pract. Isa- quæ DEO editur coram ministro ecclesiæ sub finem
gog. ad Cœn. concionis, jam demum ante annos circiter octuaginta
p. 121. in Ecclesiam Lipsiensem & totum Electoratum intro-
ducta fuit; quemadmodum in Ecclesias Hassiacas circa
idem fere tempus, cum B. D. HANNEKENIUS in ca-
thedram Theologorum suffectus fuit, cujus admodum
svasu & incitamento id bonum tum evenit.

§. V. Hinc omnino, Ecclesiam Christi sine Ab-
solutione privata nunquam fuisse, firmiter con-
Act. II. 36. cludimus. Quis enim, quæso, negare poterit, quod
38. cap. VIII. illos Apostoli, quos baptizarunt, eo ipso non absolve-
36. 37. rint. Collatio nimirum Baptismi est actualis a peccatis
absolutio, quantum ad gratiam divinam morose non re-
pudiatam attinet. Huc quoque referre possumus exem-
plum Pauli & Sylæ, qui custodem carceris tremefactum
Cap. XVI. his verbis: Crede in Jesum Christum, & salvus eris tu
31. & domus tua; absolutum dimiserunt. Ab initio statim
Græcæ Latinæque Ecclesiæ confessionem publicam,
Græcis

Græcis ἐξομολόγησιν dictam, a manifestis in publico peccatoribus veteres exigebant, quam, teste B. RHENANO, subsequēbatur impositio manus Episcopi aut Cleri: eaque facta, dabatur Eucharistia sic reconciliato. Cum vero multi delicta sua publice confiteri erubescerent, & vel propter amicos hostesque metuerent, in Ecclesia Græca tertio, Latina quinto seculo severitatem publicæ confessionis remissam & Pœnitentiarium, ἐχέμυθον certe, ad audiendas confessiones lapsosque privatim absolvendus constitutum legimus. Et quamvis ob matronem, intra templum a Diacono compressam, Episcopus Constantinopolitanus, NECTARIUS, confessionem & absolutionem secretam abrogaverit: Latina tamen ecclesia ipsam non tantum retinuit, sed etiam, ut quilibet, pro conscientia suæ ratione, absolutionem confitendo sibi expeteret, publico consensu constituit. Quare doctissimum Reformatorem BEZA fateri cogitur, privatam Absolutionem in Ecclesiis bene constitutis semper usitatam & observatam fuisse.

In lib. ad Tert. de pœnit. p. 548.

Chemn. Exam. Concil. Trident. Part. II. p. 346. 347. seqq.

Lib. I. Epist. cit. Hutt. in Loc. Theol. p. 765.

§. VI. Circumstantias externas & easdem ubique locorum ac temporum necessario observandas in sacris non legimus, utpote quas DEUS Ecclesiæ suæ, omnia modo πρὸς οἰκοδομήν, κατὰ τάξιν καὶ εὐχρημοσύνην fiant, libere constituendas tradidit. Hinc cum Absolutione, inquit B. D. CARPZOVIVS, comparatum est, sicut cum confessione privata: quæ & juris divini & humani est: juris divini quidem in se spectata; humani vero ratione circumstantiarum, loci, temporis & personæ. Nemini tamen privatorum convenit, ritus publico piorum consensu receptos mutare, mutilare aut tollere. Mutatio enim ritus, qui prodest utilitate, novitate perturbat, eleganter AUGUSTINUS dicit.

In Isagoge p. 363.

§. VII.

§. VII. Varios sub Antichristo invecos esse
abusus, dissimulare non possumus; cum sibi Confes-
sarii potestatem iudicis in peccatorem arripientes an-
xiam delictorum enumerationem & satisfactionem ope-
ris ad absolutionem consequendam necessariam exege-
In Epist. ad rint: Eandem tamen B. LUTHERUS ab hac tyranni-
Senat. Fran- de purgandam potius, quam abrogandam iudicavit,
cof. ad Mœn. abusibus rejectis, ne minimam quidem huius ritus par-
anno 33. ticularum aboleri permissurus. Prudentis enim est sem-
per abusum ab usu, quantum fieri potest distingvere,
usumque ut donum divinitus datum amare.

§. VIII. Scribat igitur CALVINUS, eam a Diabo-
lo esse invecam: nequissimum Satanæ inventum hanc
dicat MUSCULUS: aliis CHRISTIANUS ille DEMO-
In Sum- CRITUS, omnis veritatis Sycophanta, cum suis nostri
marischen temporis novatoribus in ipsam convitiis debachetur;
auffrichti- nos divinam in ea gratiam agnoscimus, remittentes illa
gen Glau- blasphemata ad suos autores, quibus nihil decorum, nihil
bens: Be- Christianum nihilque divinum videtur, nisi ab ipsis re-
fântniß / formatum fuerit.
Art. 10.

§. IX. Et quid est, amabo, quod reprehendi iure
possit? Dicunt primo, majorem introduci Abso-
lutione privata peccandi licentiam: Si enim
non omnes, certe plerosque eam in dementiam
rapi, ut si ter quaterve in anno absolvantur,
omnia bene se habere existiment. At hæc sunt
vitia hominum, non rei, quam defendimus. Neque
ideo sacrificia DEUS abrogavit, quod multi tantum ex
hypocrisi oblationem fecerint: neque altaria destruere
iussit,

jusfit, quod altaria quidam Baalim exstruxerint. At
 clamitant porro, circumstantias quoque rei ipsius,
 πρὸς οἰκδομὴν haud facientes, esse reformandas. *Vide Pref.
Luth. in Art.
Smalcald.
p. 300.*
 Quænam vero sint illa, dicere non possunt. Neque
 enim Lutherus ulla, quibus sanctitas doctrinæ vel
 morum integritas per se lædatur, tollendas nobis re-
 liquit. Et quis eas tandem inveniet, in quibus scioli
 hujus & futuri temporis non habeant, quod repre-
 hendant. Neque est, quod hic objiciatur, vel eo ipso
 saltem tyrannidem exerceri, quod absolutio-
 nem ante sacram cœnam expetere nostra nos
 cogat ecclesia. Ipse enim Paulus, ut quilibet seipsum *1. Cor. Xi. 28.*
 probet, ne sibi judicium edat aut bibat, omnino requi- *29.*
 rit: imo pia primitivæ Ecclesiæ praxis ritum hunc ex *Will. Cavée
Erstes
Christen-
thum / pag.
229. 231.
Bald. Cas.
Consc. l. IV.
cap. X. p. 114.
115.*
 eo approbat, quod nullum sine præparatione ad Evcha-
 ristiam admiserit. Hinc etiam Ecclesia nostra, pro li-
 bertate sua, ministerium reconciliationis usui sacræ
 Cænæ salutariter præmittit, suosque ad hunc ordinem
 servandum cives citra tyrannidem, obstringit. Delirant
 tandem: publicam sufficere Absolutionem, pri-
 vatam esse tollendam. His nugamentis ipsa re-
 spondet Augustanæ confessionis Apologia inqui- *pag. 181.*
 ens: *Impium esset ex Ecclesia privatam Absolutionem tollere.*
Neque, quid sit remissio peccatorum aut potestas clavium, in-
telligunt, si qui privatam Absolutionem aspernantur. Quare
 B. LUTHERUS in responso ad Senatum Noriber- *Tom. 1. Jen.
fol. 349. seq.*
 genssem de controversia, quæ hac in re ANDREÆ
 B OSIAN-

OSIANDRO cum Symmistis intercedebat, quibus tantum publica; illi Absolutio privata placebat: utriusque usum propter utilitatem svasit.

Vide Magnif. Præsidis Mores regni Christi p. 89. & B. D. Schomeri Disp. I. de iure colligendi ad privatam pietatem. §. 50. seq. In Argum. ad Tertull. lib. de poenit. p. 542.

§. X. Maxima enim Absolutionis privatæ sunt commoda. Lapsam pietatem, methodoque conventiculorum privatorum, quam nec scriptura sacra nec praxis primitivæ Ecclesiæ approbat, eam esse restaurandam audimus. Verum, quid est cur novum nec a piis unquam desideratum columen inquiramus, cum privata feliciter idem suppetat Absolutio. *Quid enim per DEUM immortalis, sunt verba B. RHENANI, utilius habere possit Ecclesia ad continendam disciplinam, quid commodius ad populum in necessariis erudiendum? ubi horula spatii plus proficit Laicus, quam tridua concione. Nam dum e suggestu declamat sacerdos, pauci diligenter auscultant, multi aliorum cogitando distrabuntur, quidam juxta proverbium, ὄνοιδότας, vel propter obtusitatem ingenii, vel ob materie sublimitatem, cujus non sunt capaces, etiamsi curiose auscultent, non tamen percipiunt, quod dicitur. At hic tum rei ipsius, tum sacerdotis reverentia attentum reddit hominem.* Quod ipse LUTHERUS Noster in Articulis Smalcaldicis affirmat his verbis: *Cum Absolutio & virtus clavium etiam sit consolatio & auxilium contra peccatum & malam conscientiam, in Evangelio ab ipso Christo instituta, nequaquam in Ecclesia confessio & absolutio abolenda est; præsertim propter teneras & pavidas conscientias, & propter juventutem indomitam & petulantem, ut audiat, examinetur & instituatur in doctrina Christiana.*

Part. III. Art. 8. p. 331.

DE

DE
*Genuina privatae Absolutionis
Formula.*

C A P. II.

§. I. Ostenditur, quid per eam intelligatur. §. II. Non est nudus verborum sonus, neque forma sacramenti. §. III. Nullam Christus quoad verba praescripsit, sed exemplo docuit. §. IV. Sensus ipsius quinam esse debeat. §. V. Huc referri possunt Nathanis verba. §. VI. Et ritus sacrificiales. §. VII. Veteres in Ecclesia Graeca & Latina qualem habuerint. §. VIII. Pontificiorum formula. §. IX. Quenam Lutheri aliisque Ecclesiis orthodoxis placuerit. §. X. debet esse genuina & categorica.

§. I.

Postquam igitur explanatum fatis habemus, Absolutionem privatam propter mandatum divinum, piam Ecclesiae praxin & utilitatem ipsius summam esse retinendam, nos quoque ad ipsam absolvendi formulam accingimur. Considerari potest ea vel generaliter, quatenus id quoque complectitur, quod Confessarius docendo, adhortando & consolando, pro confitentium ratione, absolutioni praemittit: vel specialiter, uti hoc loco, pro iis tantum verbis, quae totum absolutionis actum consignant ac poenitenti gratuitam peccatorum remissionem in individuo efficaciter applicant.

§. II. Duo nobis hic sunt errorum genera,
 quibus divina veritas obscuratur, notanda. Primus
Tom. II. p. 502. ZVVINGLIJ atque aliorum est Fanaticorum,
 qui vim verborum aliam non esse delirant, quam quod
 res, de quibus dicuntur, significant. Verum ut Evan-
 gelium est potentia DEI ad salutem omni credenti, ita
 etiam, quando ministerium reconciliationis eodem
 exercetur, vim suam internam, naturalem & propriam
 retinet licet oris voce pronuncietur. Verba enim mi-
 nistri non sunt hominum, sed DEI verba juxta Salva-
Chemnit. in toris sententiam: *Qui vos audit, me audit.* Secundus
Exam. Con- est Patrum Concilii Tridentini, qui more consue-
cil. Trid. to, hoc est, fraudulenter docere non erubescunt, Sacra-
Part. II. p. 327. seqq. menti poenitentiae formam illis ministri verbis positam
 esse: Ego te absolvo. Requirit scilicet in peccatore as-
 serunt, primo ut externis contritionem signis ostendat;
 deinde ut peccata, quae vult remitti, enumeret; tan-
 dem ut injunctam a Sacerdote mulctam aequo animo
 sustineat: ad has peccatoris actiones si accedat absolu-
 tionis formula, tunc confici Sacramentum poenitentiae
 dicunt. Sed hoc ipsum est iniquitatis Papisticae myste-
 rium, fingere Sacramenta, de quibus certum verbum
 certamque promissionem in sacris non invenimus. Ita
 si ludere liceat, quidni ex oratione, cantione aliisque
 actionibus sacris fabricare sacramentum possemus. No-
Gerbard. vimus formulam absolvendi esse verbum consolationis
Loc. Theol. efficacissimum de gratia DEI & remissione peccato-
de, poen. p. 477. rum: partem vero aut formam esse poenitentiae, nulli-
 bi, nisi in foetidis Pontificiorum scriptis legimus.

§. III.

§. III. Neque formæ verborum tenendæ nos alligavit Christus; exemplo tamen suo, quid hoc in negotio deceat ministrum ecclesiæ, docuit. Paralyticum ita absolvit: confide fili, remissa sunt tibi peccata. *Matth. IX. 2. Luc. VII. 48.* Mulierem peccatricem hoc modo: Remissa tibi sunt peccata, fides tua te servavit, abi in pace. Sunt hæc illustria privatæ Absolutionis exempla, consolationis plenissima. Vestigiis igitur Salvatoris insistere, atque ad eadem, quibus ipse absolvit, verba suam absolutionis formulam accommodare omnino conducit. Neque enim ea in totum est adiaphora, ita ut cuilibet liberum sit, novum aliquid, ab ὑποτυπώσει sanorum verborum alienum suo fingere ingenio, & cum deserto absolutionis modo clare pugnans.

§. IV. Hinc B. D. SCHERZERUS aliique nostræ Ecclesiæ Theologi annotarunt, sensum formulæ debere illum esse: ego te absolvo; vel remitto tibi peccata. Quod vel ipsa Salvatoris verba evincunt, dicentis: Si quorum remiseritis peccata, remittuntur iis: quicquid solveritis in terris, solutum erit in cælis. Cur enim, quæso, non dicit: cuicumque annuntiaveritis remissionem peccatorum, aut exoptaveritis eam, remissa erunt peccata? Ideo scilicet, ut ministri ecclesiæ, quid in absolutione facere & quomodo loqui debeant, exinde cognoscant. *System. Theol. Loc. XII. §. 12.*

§. V. Huc NATHANIS verba: *sustulit Dominus peccatum tuum, non morieris; reducere possumus.* *2. Sam. XII. 13.* Nam, observante B. Doct. DANNHAVERO, *In Hodomoria Spir. Pæpai Phant. actus XI. p. 763.* idem sensu est cum illo: Absolvo te. Nimirum eo ad-

actus erat David, ut suo se iudicio condemnans clamaret: Peccavi Domino! Confessionem igitur venia mortis æternæ statim sequitur. Et quamvis desperata videbatur conversio Davidis; utpote qui novem jam mensibus in peccato hæserat; Nam tunc natus erat filius adulterino concubitu conceptus: attamen facta Confessione de vera ipsius conversione Propheta non dubitat, nec absolutionem absoluta denunciatione facere timet.

Lev. IV.

v. 30.

v. 31.

Franz. disp.

8. §. 25.

§. VI. Ritus quoque in sacrificiis pro peccatorum expiatione usitatos, quia formulam absolutionis quasi ocularem nobis sistunt, hic non annotare non possumus. Sacerdos nimirum de sanguine oblationis digito suo accipiens, super altaris holocausti cornua spargebat, reliquum vero sanguinem ad fundamentum altaris effundebat; totum tandem adipem auferens in ipso altari ad gratum Jehovæ odorem adolebat, sicque peccatorem expiabat. Sicut enim plebis multitudo ceremonias maxime observat externas, ita DEUS pro sapientia sua divina hoc præsertim elegerat medium dispergendi inter homines doctrinam de remissione peccatorum, ut oculis id perspiceretur, quod nos audimus: ego te absolvo.

§. VII. An certam & qualem absolutionis formulam adhibuerint Apostoli Veteresque in Ecclesia Græca & Latina, per monumenta historiarum non constat; nec attinet aliter constare, quam constat, cum rem & methodum formulæ primitus receptæ & usitatæ habeamus. Id vero nobis firmiter per svasum habeamus, quod ad exemplum Christi sensum verborum

rum

rum talem retinuerint, ex quo peccatores, sibi per ministerium reconciliationis non tantum annunciari remissionem gratuitam, sed & remitti peccata certo intellexerunt. Ex CYPRIANI epistolis non obscure cognoscimus, reconciliationem, si iusto tempore & secundum disciplinæ ordinem ad Exomologesin venerint, per manus impositionem ab Episcopo aut Clero factam esse. *Ep. XIV. l. 3. XVI. l. 3.*

§. VIII Pontificiorum formulam nobis sup- *In Praxi Fori Pœnit. lib. 8. n. 18.*
peditat Jesuita REGINALDUS his verbis:
Confessarius dicat: Misereatur tui omnipotens DEUS & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam: & manum versus caput pœnitentis elevans addat: Dominus noster JESUS Christus, qui est summus Pontifex, te absolvat, & ego auctoritate ipsius, mihi licet indigno concessa, absolvo te in primis a vinculo excommunicationis, suspensionis & interdicti, in quantum possum & indiges. Deinde absolvo te a peccatis tuis, in nomine patris, filii & Spiritus Sancti. Post hæc removendo manum dicat: Passio Domini nostri JESU Christi & merita B. MARIÆ virginis & omnium Sanctorum, quicquid boni feceris & mali patienter sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & in præmium vitæ æternæ. Amen. Tanta scilicet est Romanæ Religionis impuritas, ut ne quidem verba absolutionis pura retinuerit. Laudant quidem Patres Concilii Tridentini hanc verborum mixturam docentes: de Ecclesiæ Sanctæ more preces quasdam verbis: Ego te absolvo; laudabiliter adjungi; eas tamen ad formam sacramenti pœnitentiæ necessarias non esse. Sed malus est mos ille, quo passio Christi, gratia DEI, fides & ipsa certitudo fidei obscuratur.

§. IX.

de Confessione p. 380.

*Kirchens
Ordnung
von der
Beichte/
p. 20.*

*In Casibus
Conscientia.
Cas. XVI. p.
468.*

*In specimine
Theologiae
Pract. p. 187.*

§. IX. Quapropter LUTHERUS Noster
absolutionis verba ab his Pontificiorum fecibus pur-
gans hanc in Catechismo minori posuit formulam: *Ego
ex mandato Domini nostri Jesu Christi remitto tibi tua pecca-
ta, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, Amen.* Vade in

pace. Eandem quoad sensum Constitutio Ecclesia-
stica ministris in Ecclesia nostra viventibus præscripsit
his verbis: Der Allmächtige **GOTT** und Vater unsers
HERRN JESU CHRISTI wil dir gnädig seyn/ und wil dir alle
deine Sünde vergeben/ um des Willen/ daß sein lieber Sohn
JESUS CHRISTUS dafür gelitten hat und gestorben ist/ und
in den Nahmen desselben unsers **HERRN JESU CHRISTI** auff
seinem Befehl und in Krafft seiner Worte/ da er saget: Wel-
chen ihr die Sünde erlasset/ den sind sie erlassen; Spreche ich
dich aller deiner Sünden frey/ ledig und loß ꝛc. Con-

sentit nobiscum Norica Ecclesia, dum teste B. D.
GEORGIO KOENIGIO, hanc in usum recepit: Omni-
potens **DEUS** remittit tibi peccata, & ego ex mandato
Domini nostri Jesu Christi, loco Ecclesiæ, absolvo te a
peccatis tuis in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.

Nec ab hac discedit constitutio **VVurtembergica**,
quæ ut B. D. **GEORG. HENRICUS HÆBERLINUS**
scribit, talem commendat: **DEUS** misertus est tui & re-
mittit tibi peccata, & ego tanquam minister ecclesiæ an-
nuncio tibi ex mandato Jesu Christi istam remissionem
omnium peccatorum tuorum, in Nomine Patris, Filii
& Sp. S.

§. X. Has absolvendi formulas ideo recensemus,
ut exinde colligi possit, nullas, nisi genuinas, categori-
cas atque exemplo ac mandato Christi comprobatas Ec-
clesiis

clesiis orthodoxis haecenus placuisse. Quoniam igitur Salvator diserte dicit: solvite: Remittite; nos cum B. nostro KOENIGIO categorice concludimus, ^{l. c. p. 468.} hanc esse formulam tutissimam & absolventis conscientiae convenientissimam, quæ ductum scripturae sacrae sequatur, & in sensum atque sonum exeat perfectum & categoricum, id quod dilucidius ex capite sequenti contrarium sentientes perspicere possunt.

DE

Formulis absolvendi minus

Evangelicis,

C A P. III.

§. I. Tres earum species, prima optativa. §. II. Brevis-
simis ea diluitur. §. III. Objectio refutatur. §. IV. Senten-
tia Chemnitii, Höpfneri & Haberlini. §. V. Secunda Conditio-
nata. §. VI. Pontificiis interdum usitata. §. VII. Propter duas
causas recipi posse videtur. §. VIII. Est contra scopum Evange-
lii & Absolutionis. §. IX. Tollit usum confessionis privatae. §. X.
Eam disvadent actus baptizandi & alii. §. XI. Est absurda &
periculosa. §. XII. Objectiones diluuntur. §. XIII. Tertia Le-
galis. §. XIV. Pontificiis est communis. §. XV. Tolerari non
potest; iudicium Facultatis Theol. Lipsiensis. §. XVI. Monita
quaedam subjiciuntur de conditione Confessionis & variatione
formularum.

C

§. I.

§. I. **E**Os nimirum Cordatissimi Theologi jam dudum annotarunt, qui vel Absolutione optativa, vel conditionata vel denique legali confitentes, infelici sane progressu, a se dimiserunt. Optativam dicimus, quando Confessarius omisis his, vel quoad sensum similibus, verbis: remitto tibi peccata; peccatorum remissionem vitamque confitenti tantum exoptat dicendo: implorabis igitur mecum divinam gratiam, ut misereatur tui DEUS, remittat tibi peccata, teque perducatur ad vitam æternam; idque facies in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.

§. II. Votum præmitti vel subjungi posse verbis absolvendi non negamus. Imo gratiam divinam omnibus exoptare non tantum ministri ecclesiæ præsertim ratione officii sui tenentur: sed & quilibet Christianorum, ut idem quotidie faciat, vi conscientia adigitur. Quemadmodum autem hæc pia fidelium vota sacerdotalem absolutionem non constituent: ita eodem modo peccatorum remissio pœnitentibus applicari non debet. Namque ministri ecclesiæ tum piis tum impiis gratiam divinam exoptandi, sed non, nisi pœnitentibus, peccata remittendi licentiam habent. Hanc Christus nomine clavis consignat: qualis autem ista clavis erit, quam, ut aperiatur ab alio, tantum exoptamus? Quicquid solveritis, inquit Salvator, erit solutum: quæ vero illa est solutio, quando erga vinculis constrictum, ut ab alio liberetur desiderium nostrum verbis tantum testamur? Quid? quod talis absolvendi modus Fanaticorum sapit errorem, qui DEI & ministri absolutionem separantes aliam fingunt in

Matt. XVI.

19.

Cap. XVIII.

18.

Vide De-

alar. Theol.

in cœlis clavem, quæ revera solvit, aliam in terris, quæ *Hass. con-*
solutio jam facta vel demum futura solummodo annun- *tra: Bech-*
ciatur; Cum tamen Christus non dicat: quicquid solu- *sel. Schrif-*
tum erit in cœlis, illud absolutis exoptate in terris, sed *ten. p. 1044.*
potius realem in cœlis & in terris identitatem solutio-
nis promittit.

§. III. Non est, ut quis excipiat, absolutionem
optativam nihil obesse poenitenti, cum eo ipso,
dum contritio fidesque in homine adsunt, jam
in cœlis fiat remissio. Licet enim, juxta sententi-
am BEATI HUTTERI, præpostera absolvendi ratio *in Loc. The-*
confitentis saluti nihil officere possit, ipsum tamen mi- *ol. p. 765.*
nistrum fœdisimi abusus clavium coram DEO reum
constituit. Sicuti nempe alias commissoriale strictis- *Ruriger. Rul.*
simæ est interpretationis, adeo ut ejus limites excede- *Commiss.*
re commissario integrum non sit: ita mandatum Chri- *Part. II. l. 3.*
sti, quod pro ratione personarum ligare vel absolvere *cap. 2. n. 10.*
jubet, Legatus divinus in negotio absolutionis observa-
re debet neque autoritate propria tertium absolvendi
modum, nempe optativum eligere potest.

§. IV. Hinc etiam Nostro CHEMNITIO *in Examin.*
GERSONIS sententia probatur, absolutionem *Concil. Trid.*
non in optativo modo, forma imprecationis impertien- *Part. II. p.*
dam, sed ita, ut, qui absolvitur, audiat & intelligat, DE- *330.*
UM per illud ministerium annunciationis Evangelii, si-
bi privatim applicare meritum & beneficia Christi ad
remissionem peccatorum. Cui longe laudatissimus
HOEPFNERUS Noster adstipulatur: Minister non *Tract.*
in optativo sed indicativo modo absolvere debet, remit- *Pract.*

Señ. I. Act. to peccata tua omnia: vel remissa sunt tibi peccata vel
II. cap. VI. absolvo te ab omnibus peccatis. Nec dissentit B. HÆ-
p. 199. BERLINUS: *In absolutione confitentis adhibeatur genuina*
In Specim. formula, verbis scilicet non optative sed indicative conceptis.
Theol. Pract. Plura Theologorum testimonia proferre nulla nos ne-
Reg. III. p. cessitas cogit, quoniam tum ex capite dissertationis an-
186. tecedenti, tum ex iis, quæ sequuntur, res clarius patet.

§. V. Progredimur ad conditionatam, per quam intelligimus proprie illam, quando confessarius de pœnitentia confitentis dubitat, adeoque absolvit eum vel sub conditione de præterito: si dolueris de peccatis; vel de præsentis: si vera sunt, quæ dicis; vel de futuro: si pœnitentiam egeris veram.

Prax. Fori §. VI. Certos Jesuita, VALERIUS REGI-
Pœnit. lib. 8. NALDUS, recenset casus, in quibus absolutionem sub conditione Pontificii concedunt. Primo, quando puer confiteretur, & confessarius dubitaret, an habeat usum rationis, absolutionem hanc procedere dicit: Si habes usum rationis, ego te absolvo. Deinde quando confessarius dubius hæreret, an protulerit absolutionis verba, eum recte dicere existimat: Si non es absolutus, ego te absolvo. Et tandem cum aliquis ita virtutibus ornatus accederet: ut nequeat cognosci, an ea, quæ confiteretur, essent peccata, hanc rite proferri formulam statuit: Si, quæ confiteris, sunt peccata, te absolvo. Hæc absurda Jesuitis relinquimus quæ nullus, nisi prorsus rationis usu careat, approbare potest. Quamvis autem ipse REGI-
n. 9.
n. 8.
n. 9.
NAL-

NALDUS cum BELLARMINO & VASQVE-
ZIO conditionalem reprehendat absolutionem: ver-
ba tamen, apud Pontificios in absolutione usitata:
in quantum possum & indiges; non nisi conditio-
naliter recipi possunt. Sensus enim, teste REGINAL-
DO, idem sunt, ac si diceret Confessarius: si teneris ali-
quo vinculo excommunicationis, a quo possem te absol-
vere, ego absolvo te.

*Bellarmin. l. 3.
de pœnit. c. 2.
Vasquez.
Tit. IV. in 3.
part. Tho-
ma Quest.
84. Art. 3.
dub. 5. p. 19.
loc. cit. lib.
9. n. 52.*

§. VII. Duæ sunt potissimum causæ, pro-
pter quas modus absolvendi conditionalis re-
cipi posse videtur. Primo confessoriorum gratia,
quibus cavere sibi convenit, ne sanctum canibus &
margaritas porcis projiciant: Deinde confitentium
causa, ut eo felicius impediatur hypocrisis, omnesque
diserte percipiant, quod nemo, nisi egerit veram pœni-
tentiam, particeps absolutionis fiat. Primum quod at-
tinet respondemus, fideles ecclesiæ ministros cum pe-
riculo aliorum requiem conscientis suis non quærere
neque hoc modo invenire, dum sanctum canibus &
margaritas porcis, si non categorice, ad minimum con-
ditionate dare posse statuunt, cum Christus id prorsus
prohibeat. Præterea hypocritæ peccata sua confiten-
tes non ut porci vel canes æstimari possunt; utpote, qui
nec canum more latrantes divinam gratiam respuunt,
nec porcorum naturam induentes impuritatem vitæ
defendunt, sed fidem in Christum contestantur & emen-
dationem vitæ promittunt. Alterum, quod confiten-
tes respicit, tanti momenti non est, ut fructum, quem
alii sperant, certum exinde nobis promittere queamus.

Matt. VII. 6.

Sunt enim, qui confitentur, aut hypocritæ, aut vere pœnitentes. Si vere pœnitentes, quid opus est, ut illorum pœnitentiam in dubium vocemus? Sin hypocritæ, adhuc sub iudice lis est, an dubia absolvendi formula ipsorum conscientiam tangat. *Et quantum est, ut cum B. CYPRIANO loquamur, arrogantia tumor, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, ut quis aut audeat, aut facere posse se credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut Zizania, quæ forsitan ob hominum vitia in privata absolutione occurrunt, a frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi paleam ferre & aream purgare concessum sit, paleas a tritico conetur separare per modum absolvendi minus evangelicum.*

*Ex Matth.
XVI. v. 13.
habita Wit-
teb. anno
1667.*

§. VIII. Scopus enim totius Evangelii atque absolutionis ipsius hac ratione tollitur. Cur, quæso, Christus potestatem Evangelium prædicandi & remittendi peccata ministris suis dedit? Ideo scilicet, ut teneræ conscientia per ministerium reconciliationis certum gratiæ divinæ pignus habeant. Nemo enim tam firmus est, ut fulcimento nullo indigeat. Quod verba B. D. DOCTORIS ANDRÆ KUNADI, in disputatione de Confessione Petri & eam secuta responsione Christi, comprobant: *Maxime interest eorum, qui absolutionem querunt, ut de presenti statu gratiæ per verbum absolutionis certiores sint, illi præcipue, qui licet serio doleant de peccatis, & in solo Christo omnem opem & salutem suam collocent, ex simplicitate tamen & infirmitate veritatem & præsentiam fidei ex sensu potissimum judicant, quam igitur, si in tentationibus gravioribus præ tristitia & perturbatione*

tione animi sensu & experimento non deprehendant, quod multis usu venire solet; fieri posset, ut per conditionatam absolutionem in dubio relinquantur, & magis ac magis perturbentur. Id quod tamen fieri & scopo totius Evangelii contrarium & a ministerio reconciliationis vel maxime alienum est.

§. IX. Pugnat proinde conditio cum privata confessionis usu. Quod si enim fidem confessarius habere nequit confessioni: ecquid causæ est, quod eam audit? Inquis forsitan: Confessio mihi non sufficit: Imo sufficere debet, nisi manifesta & certissima dubitandi indicia adsint. Ministris enim ecclesiæ iudicium conscientiarum infallibile non competit; sed, uti per externum ministerium conferunt absolutionem poenitentibus, ita ipsos confessione hominum externa contentos esse jubet charitas, quæ semper sperat optimum de iis, in quibus veritatem penitus inquirere nequit. Quare KUNADUS noster poenitentiam præse ferentes ob suspicionem hypocriseos non statim rejiciendos, aut hypothetica solum formula suspendendos esse affirmat. Quod B. HÆBERLINUS in specimine Theologiæ Practicæ pluribus deducit.

Loco supra citato.

p. 187.

§. X. Actus quoque baptizandi sacramque coenam administrandi dubiam sub conditione absolutionem disvadet. Nullum profecto vel ab Apostolis, vel a Patribus ecclesiæ primitivæ, vel denique a nostris conditionaliter baptizatum fuisse scimus. Eunocho dicenti: en aquam, quid obstat, quo minus baptizer?

Act. VIII.

36. 37.

ptizer? Philippus hypothetice respondebat: si credis ex toto corde licet. Cum autem ille confiteretur: credo, filium DEI esse Jesum Christum; Philippus eum statim baptizabat. Neque ullus sacram cœnam ita distribuit: Accipe corpus Domini nostri Jesu Christi, quod, si dignus accedis, te conservet in vera fide ad vitam æternam. Huc applicemus actum excommunicandi, quem Paulus sine conditione exercet, & condemnandi, qui categoricis pronunciari solet verbis.

1. Cor. V. 4. 5. Cum igitur absolutio rationem habeat sententiæ judicariæ, nec eam statuere conditionatam possumus.

§. XI. Absurditate tandem eam, & periculo laborare quilibet facile cognoscit. Nam quid est absurdus, quam protestatio facto suo contraria, dum confessarius impositione manuum diserte quidem peccatorum remissionem testatur, ore vero dubiam reddit eam, idemque est, ac si diceret: ego te absolvo, & non absolvo: si pœnitens es, quod vix credere possum, rata est impositio manuum; sin minus, quod mihi quoque probabile videtur, protestor contra eam, irritamque esse dico. Quid est absurdus, quam verba, quæ certitudinem progignere debent, hypothetica formare, cum tamen, teste B. KOENIGIO, certitudo & conditio non bene conveniant. Turbat scilicet ea conscientiam & veræ pietatis incrementum impedit. Certus enim esse non potest homo, se vitam agere DEO placentem, nisi justificatus conscientiæ suæ tranquillitatem teneat. Objici quidem posse videtur, iis, qui laxioris sunt conscientiæ, prodesse scrupulos, ut
a so-

a somno peccatorum tandem excitentur: Sed num confessarius internam hominum dispositionem penetrare valet? Quid si artioris conscientiae homo accederet, cui cum periculo salutis majorem incurrere terrorem non conducit? Ne dicam absolutionem non ad excitandos a peccatis malos, sed ad poenitentes absolvendos Christum proprie destinasse.

§. XII. At si regerat aliquis, B. PAULUM TARNOVILUM & HUTTERUM absolutionem approbasse conditionatam, hic responsionis loco observet, distingvendum esse inter absolutionis eventum & ad ministrationis usum, inter subjectum absolvendum & ipsam absolutionis formulam. Quatenus remissio peccatorum in subjecto absolvendo veram requirit poenitentiam, eventus est conditionalis; verba vero sub conditione pronuncianda esse non sequitur, neque id B. affirmasse viros evinci potest. Nec magis audiendus est, qui publicam absolvendi formulam conditionali favere dicit. Ista enim verborum restrictio: *Facta confessione vestra, vobis, qui poenitentiam agitis veram, remitto peccata:* non est conditionalis, sed hominem absolvendum Confessarius describit, qui pios simul & impios hic habet, neque de singulorum poenitentia per Confessionem oris specialem certior est factus. Multum quoque falluntur, qui, veritate coacti, categoricum absolvendi modum quidem concedunt, ad eum vero exercendum, ut eo felicius dignos ab indignis discernere possit,

Apud Dede-
kenn. Vol. I.
p. 722. Harr.
Loc. Theol.
p. 765.

D

fit,

*Carpz. Ju-
ris. Consist.
l. ii. decis.
279. p. 421.*

fit, aut illuminationem Spiritus S. specialem,
aut crebram &, si possibile, quotidianam, per
privata pietatis conventicula instituendam,
cum hominibus conversationem efflagitant.
Primum enim Fanaticorum est, neque ulla DEI promissio-
ne nititur. Alterum, quod debet, non præstat. Ex-
empla prostant virorum, quos, omni licet adhibita dili-
gentia, familiaritas quoque intima decepit & adhuc de-
ceptos tenet. Quapropter res eo summatim redit, mi-
nistros ecclesiæ de resipiscentia & pœnitentia commu-
nicaturorum aliter judicare non valere, quam ex signis
confitentium externis, peccatorum confessione & pro-
missa vitæ emendatione. Errant denique, qui fo-
veri mente conditionem ejusmodi a Confessa-
rio posse existimant, quæ si citra detrimentum
absolutionis animo foveri, quidni etiam in
verbis absolventis teneri possit? Respondemus
hanc esse imbecillitatem cordatis ecclesiæ ministris in-
dignam, quibus ne mente quidem de pœnitentia confi-
tentis dubitare licitum est, cum vires absolventis omnes
in verba confitentis resolvantur, quæ secundum spem
& charitatis legem, ea non fuisse dolosa, sunt explican-
da, adeoque omnem, etiam mentalem, conditionem re-
spuunt.

§. XIII. Restat, ut paucis legalem discutia-
mus absolutionem, quæ proprie contritionis & fidei
quantitatem ac qualitatem respicit futuramque vitæ san-
ctita-

Et tatem ad præsentem peccatorum remissionem consequendam requirit his verbis: *Quatenus pœnitentiam agis; vel: si, quæ tibi commendo, satis observaveris, te absolvo.* Differt ab hypothetica in eo, quod hæc sufficientiam, illa pœnitentiæ præsentiam in dubium vocet.

§. XIV. Est hic modus religioni Romanæ potissimum proprius, quod votum absolutioni Pontificiæ subjectum testatur: *Quicquid boni feceris & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ & in præmium vitæ æternæ.* Hinc B. noster LUTHERUS ita scribit: *Des Pabsts Schlüssel ist also gelehrt / verstanden und gehalten / daß er selbst / der Schlüssel / an ihm irren mag / obs gleich ein Mensch glauben und annehmen wolte. Denn es ist ein Conditionalis Clavis, ein Wüncel Schlüssel / der uns nicht auff Gottes Wort / sondern auff unsere Xene weist; spricht nicht frey: Ich löse dich gewißlich: sondern so spricht er: Bist du bereuet und fromm / so löse ich dich / wo nicht / so fehle ich. Tota scilicet Pontificiorum religio legalis est, & opera in salutis negotio tanquam necessaria sectatoribus suis commendat, ideoque mirum non est, quod Pontificii pœnitentiam contestantes legaliter absolvant.*

*Kirchnerus
in Thes.
Luth.*

§. XV. Nos hanc absolvendi methodum pluribus refutare non opus esse putamus, cum facile quilibet, qui totum salutis suæ opus DEO Christoque adscribit, quid sentientum sit, constet. Ea nimirum diabolicis animas de salute sua sollicitas vexat dubiis, an tantum, quantum tenentur, doleant: fidem tollit: totum Evangelium evertit & novam obedientiam, ut pœnitentiæ partem, constituit, quod nullus nostrorum, nisi qui

Apud Dede-
kennium in
Appendice
nova, p. 560.

Socinianorum dogmati favet, affirmare potest. Ne-
vero nihil prorsus dicere videamur, quædam ex Fa-
cultatis Theologicæ Lipsiensis responso adduci-
mus, quo Theologi tunc temporis Maximi,
ῥῶν ἐν ἀγίοις, formulam conditionatam legaliter pro-
nunciatam ita reprehendunt: Auff desselben überkom-
menden Schreiben / de dato, den 6. Septembr. haben wir
ablesend verkommen / welcher massen er seiner Pfarr-Kin-
der einen auff vorhergehenden Beichte in offenen Beicht-
stuhl hat absolvirt mit diesen Worten: Darauff wil ich euch
nun hiermit für den Angesichte Gottes von allen euren
Sünden / so ferne ihr sie erkennet und euch leid seyn lasset /
absolviren und lossprechen in den Nahmen Gottes ꝛc.
Wir halten dafür / daß gedachte Formul absolutionis nicht
allerdings / absonderlich was die formam absolutionis zum
Ende derselben thut anlangen / dem Worte Gottes / un-
sern Libris Symbolicis und andern in unserer Christ-Lu-
therischen Kirchen fürgeschriebenen Absolutions-Formulen
gemäß sey. = = Denn ob zwar der Herr Anfangs recht
gethan / daß er dem Beicht-Kinde erstlich seine Sünde hat
zuerkennen gegeben. = = Dennoch aber ist der Herr aus
den Wege aller rechtgläubigen und Christ-Lutherischen
Lehrer gewichen / wenn er fast zum Ende seiner Absoluti-
on sich folgender Worte gebrauchet: Und darauff. = = Denn
indem ihr den Confitenten von allen Sünden / so ferne er
sie erkennet und ihm leid seyn lassen / absolviret und lossge-
sprochen habt / so ist die Absolutio dubitativa, oder Con-
ditionalis, nicht aber pure affirmativa gewesen / wie sie
doch nach Gottes Wort und in demselben auffgezeich-
netem Exempeln hätte seyn sollen. ꝛc.

§. XVI.

§. XVI. Antequam ultimum capitulum hujus filum
abrumpimus, pauca quaedam de conditione abso-
lutionis & variatione formularum monere li-
ceat. Quoad primum, ex HUTTERI sententia
formulae nonnullis usitata. *Auff eure Beichte ic. oder:
auff eure gethanes Bekantnis sprech ich euch loß ic. cogno-
scimus, absolutionem semper praesupponere confes-
sionis conditionem. Disimulare nempe non potest, mo-
tos esse nonnullis ob ingenii simplicitatem exinde scru-
pulos, quasi vis absolutionis a confessione verbis rite
compositis & sufficienti devotione facta dependeat,
cum tamen in solidum Christi merito innitatur. Qua-
re prudentes ecclesiae ministri, qui suos ad unicam DEI
gratiam deducunt, haec & similia verba, quoniam sunt
ambigua & legaliter explicari possunt, in Absolutionis
privatae negotio tutius omittunt, ne bonae mentes iis-
dem turbentur & carnificina confessionis invalescat.
Alterum illos potissimum concernit, qui absolutio-
nis verba nimis variant, quasi varietas delectet, novis-
que terminis ita obscurant, ut, quid dicunt, saepius ipsi
non intelligant. Variare quidem praevium alloquium
& pro confitentium ratione docere, adhortari, dictis &
exemplis urgere, consolari confessarius potest: ipsam
vero formulam in Ecclesias nostras ad absolvendos
confitentes a majoribus orthodoxis inventam, fidei mi-
nistris praescriptam & rei convenientissimam plane
rejicere, vel nova verborum obscurorum mixtura va-
riare, prudentis non est. Nam qui fingit nova verba,
simul nova dogmata gignit. Haec jam sufficient ad de-*

struendam eorum opinionem, qui legalem, optativam
& conditionatam absolutionem defendunt.

CONCLUSIO.

§. I. *Contemptores absolutionis reprehendit.*
§. II. *Piis eam commendat.* §. III. *Votum.*

§. I.

Tanta nititur autoritate absolutio: tanta in
Ecclesiis nostris consolatione confertur, ut
nullam, cur repudietur, causam habeamus.
Videant igitur protervi ac tumidi, quos vel
mentis audacia, vel sanctitatis nimiae delirium,
ad totam hujus doni everfionem adigit, quo-
modo se excusare possint. Caveant sibi hypo-
critæ, qui disertis & evangelicis absolvendi
verbis securitatem suam alere conantur, ne
iram sibi contrahant divinam. Suum, quod
debent, ministri faciunt, & quanquam effectu
suo excidat absolutio, culpa tamen non in eum,
qui donum offert, sed in hos, qui fide non
apprehendunt illud, omnino cadit.

§. II.

§. II. Isti vero, qui peccatorum gravitatem agnoscunt, iram DEI flammantem sentiunt, veniam propter Christum gratuitam suspirant, neutiqvam dubitare debent de remissione peccatorum, per ministerium reconciliationis collata, vi verborum: Quicquid solveritis in terris, solutum erit in cælis.

§. III. Nos DEum religiose veneramur, ut Ecclesiæ suæ variis Fanaticorum turbis vexatæ assistat, & donum absolutionis divinum ab omnibus pravorum dogmatum fecibus purum protegat, cui honor & gloria in æternum, Amen.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be in a historical or Latin script.



ULB Halle 3
003 792 641




05 A 2403

1077







2. D. B. V.

**ABSOLU-
TIONEM
PRIVATAM
FORMULA CA-
TEGORICA**

EXERCENDAM,
PRÆSIDE
Summe Reverendo atqve Magnifico
**DOMINO
MILIPPO LUDOVICO
HANNEKENIO,**
*ore & Professore Theologo ac Consist. Eccles.
Assessore gravissimo,
Publica eruditorum Censura tradit*
AUTOR
**M. SALOMON Gotthelf
LEHMANNVS,**
Lastavia-Coldicensis Mistr.
Anno cl^o ls cc. d. XXV. Maji.

TTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI GERDESII.

